



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

22. Dies Aprilis. Hoc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur;
quod loquimur, sentiamus. Seneca epist. 75.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

22. DIES APRILIS.

Hoc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus. *Seneca epist. 75.*

Simulatio. I.

Simulatio tota ex veteratoria fraude contextâ Amicitiam, non ut Odium palàm aperto Marte, sed clam clandestinâ arte, & quasi per cuniculos oppugnat. Illa, aliud loquitur, quàm sentit, & perpetuum est dissidium illi inter acta, & verba; inter linguam & vitam. Quot ferè hominum in mundo, tot sunt & larvarum; nihil veri, nihil synce-ri, colorata omnia, fucata singula, personata uni-versa. Confidere in toto vix ulli mortalium licet. Quæ enim fiducia? Audeo dicere inter tot hominum myriades, vix unum par invenietur, ut Orestes, & Pylades. Quem enim quisque socium, & amicum habet, non integrum habet; in alios enim sibi amicos, divisus est: hinc cum uni secretum etiam sub rosa, uni amico credideris; ille occasione oblatâ, aut confirmandæ cum alio amicitia gratiâ, aut reconciliandæ, aut ineundæ, sub eadem rosa commendat alteri: usque adeò, ut secretum sæpè publicetur, & ipse publicationis auctor nesciatur. Quasi ad fallaciam geniti sumus. Nihil certi nobis promittere à candore hominum possumus: adeòque nescimus, sentiant plerique, quod dicunt, an secùs?

II. Multi virtutem palàm laudant, virtute nec
mini-

minimâ præditi : amorem loquuntur, qui odia in-
 tus non moritura fovent : spondent opem prodigè,
 ne fide : latet, ut plurimum in liberali sponfione do-
 lus spondentis. Ostentant deindè se velle, quod no-
 lunt, nolle, quod volunt : ambire quod averfan-
 tur; averfari, quod ambiunt. Damnant improbos,
 ipsi damnandi propter improbitatem : laudant pios,
 pietatis inimici : modestiam vultu præferunt, om-
 nis immodestix servi. Sic, ut modo quomodo cum
 hominibus agas, ipse nescias. Viri politici unius do-
 gma excipe auribus, ad cautelam, ne exprimas mori-
 bus ? (a) *Hæc sunt, quæ politicum decet expendere,
 non modò quid agendum, vel quid omittendum, sed
 quid etiam simulandum. Totus mundus fucò utitur :
 cum vulpibus vulpirandum est. Pueri nucibus, viri
 juramentis fallendisunt. Nec est infame violasse jurif-
 jurandi religionem. Fecerunt hoc nostri Principes, nos
 chariores habebunt, si non modò pro iis patiamur, & bel-
 ligeremur, sed etiam pejeremus. Dum crepundia ven-
 dunt institores vestri, simulant, mentiuntur, pro asse
 pejerant, & nos id non faciemus pro regnis, & arci-
 bus? & quidem libenter. Quid videtur? quid cum
 talibus agendum? quomodò cum eis vivendum?
 Connivendum autem necessariò, cum inveniantur,
 qui iisdem vestigiis insistant, & omnia componunt,
 ut imponant.*

III. Expedire nos, etiamsi prudentissimi, ab eo-
 rum laqueis vix possumus, cum omnia tectè a-
 deò faciant, ut aut Ædipo, aut Argo opus sit.
 Clàm oderunt, detrahunt, calumniantur, mille
 habent anfractus malitiâ implexos, quos tegit ora-

V

110.

(a) *Venceslai de Moruschania Heretici.*

tio. Quæ potest in eo esse Charitas Christiana, cujus cor ait, lingua negat? An non monstrum horrificum est hoc biforme, cælo inimicum, hominibus odiosum, in corde strictum habere gladium, invidiâ & crudelitate politum, in lingua pacem, amoremque ventilare. (a) Capræ lambunt arbores, & lambendo exsiccant, & cum illas exosculari videantur, occultum venenum infundunt, quo pereunt: sic nonnullos ore blando, velut suaviani putes, & vim amoris exprimere, cum detestabili quadam machinatione insidias ponunt, & nocere velint. Multi puteos imitantur profundos: quorum latices puri liquidique sint, an lutulenti: salubres, an venenati; falsi, an dulces, non cognoscas, nisi multo labore exhaurias: ita latentes in profundo sensus habent, arcanasque voluntates, proposita Rationi, & Deo adversa, integumentis simulationum obducta. Expiscari ab illis nihil queas, vel in apertum lumen educere, nisi penetres, ut in profundum alveum, in animi penetrabile, & mentis cogitationes, qui est locus homini inaccessus. Illos versipelles cum pavone Tertullianus confert: qui multicolor, & discolor, & versicolor nunquam ipse, semper alius; & si semper ipse, quando alius. Sed pro clausula sit illud dignum Propylæo Deiphico carmen:

Pelle sub ovina latitat mens sæpè lupina.

(a) *Plin. l. 3. c. 50.*